



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De falsa expositione istius verbi, quòd sola fides faciat nos filios Dei. tit. 24

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

TITVLVS XXIIII. 89

Et Paulus conqueritur Rom. 10. quandò dicit, Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, &c. Eodem capite dicit, Non omnes obediunt Euangelio &c.

D E F A L S A E X P O S I T I O N E  
istius verbi, quod sola fides faciat nos  
filios D E I.

TITVLVS XXIIII.



Rimò, sectæ vt derogent pijs operibus, & suum conceptum errorē defendant, seducunt simplices cū dulcibus illis verbis, pater & filius. Nā sic docent: Quicunque filius est, hic constituitur iustè hæres bonorum: Nam hoc ipso quod nascitur meretur hæreditatē absque opere & omni merito. Sic fides sola nos facit filios Dei, Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, idque quā primū credere incepimus, adsciscimur in hæredes & filios Dei: Rom. 8. si filij, ergo & hæredes, absq; omni merito, opere, passione, per solam fidem: quare cùm sumus filij & hæredes, consecuti hoc sumus, id est, salutem per solam fidem &c.

Secundò, Paulus Rom. 16. inquit: Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui per dulces sermones &c benedictiones seducunt corda innocentum &c. Loquuntur sectæ de nostra iustificatione, quasi essemus à natura hæredes & filij Dei, sine omni obedientia, operibus, merito & passione: sicut Christus, qui solus est à natura filius Dei, & hæres verus omnium bonorum Dei, etiamsi non fuisset incarnatus, & obedisset usq; ad mortem crucis patri, Phil. 2. sic hæretici se assūmilant Christo, & volunt sic esse filij Dei, quasi à natura essent tales. Sed nos nō sumus à natura filij Dei, sed adoptione, id est, assumpti & vocati hæredes, nō filij na.

filij naturales. Idēo filius adoptius non possidet hæreditatem, quantum ad naturam, sed solū id quod ei ex gratia donatur. Si filius adoptius fuerit obediens, & facit voluntatem parentum, qui eum adoptarunt, (nam propter obedientiam talis est electus & adoptatus) tunc hæreditabit bona: sin autem, ē domo expellitur: quia talis filius adoptius, est veluti seruus in domo: statim quādō non facit voluntatē patris, ex domo ejicitur. Sic Paulus adducit historiā Genes. 21. ad Galat. 4. de duobus filijs Abrahæ: &c. quoniam ancilla & filius eius non viuebant secundū voluntatem patris & Saræ, idēo dicitur: Ejus ancillam & filium eius: non enim erit hæres filius a illę cum filio liberæ.

Insuper hoc certum est, prout scribitur in Authentico, hoc amplius, Cod. de fidei commiss. & C. de iure deliberandi, L. scimus, quādō omnis qui vult cohereditare alicuius bona, hunc oportere etiam voluntatem testatoris, mandatum &c. simul expedire & explere. Idcirco tali homini iura liberum faciunt, utrū hæreditatem tali conditione adire velit, nec ne. Sic etiam agitur cum bonis Dei, quā licet promissa sint omnibus credentibus, simul tamē & hoc impositum illis, qui participes fieri volunt iustificationis & hæreditatis, vt operentur voluntatem Dei, tollant suas cruces & sequantur illum, Luc. 14. Qui nō accipit crux suam, & sequitur me, non est me dignus. Et I. Petr. 2. Christus pro nobis passus est, vobis relinquēs exemplum. Roma. 6. Si conseptuli fuerimus peccato, in ipso viuemus & conregnabimus.

Insuper in Authentico, ut cū de appellationibus cognoscitur, & causas: Pater si habuerit filios, qui tamen naturales sint hæredes, si inobedientis aliquis illorum factus fuerit, atq; omnis generis scelera & vitia segetur, hunc iure potest exhæreditare. Sic si inobedientes fuerimus Deo patri & Euangeliō Christi, non erimus

erimus capaces æternæ h̄ereditatis, et si adoptiui filij fuerimus, & fidem sterilem habuerimus. Sic dicit A-  
postolus Rō. 8. Si secundum carnem vixeritis, morie-  
mini, & 1. Cor. 6. Ephe. 5. Galat. 5. Tales regnum Dei  
non possidebunt. Ideo licet adoptiui filij sumus, & fi-  
dem Christi ore tenemus, si factis negamus illum, ad  
Tit. 1. Si nō obedierimus patri cœlesti in cœlis, nihil  
p̄derit nobis illa adoptiua filiatio. Non igitur satis  
est, nudum nomen filij, aut nuda & sola fides, sed et-  
iam requiritur obedientia, vt faciamus voluntatem  
patris, si quis vult verus eius esse filius & h̄eres. I-  
deò inquit Christus Matthæi septimo. Non omnis  
qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnū  
cōolorum, &c.

Præterea Deus in veteri testamento, Deutero. 21.  
nedū exhaereditat filios inobedientes parentibus,  
sed etiam iubet lapidibus obrui. Si genuerit homo  
filium contumacem & proteruum, qui non audiat  
patris & matris imperium, & coercitus obediens con-  
tempserit, appræhendent eum, & ducent ad senio-  
res, id est, iudices ciuitatis: dicentque, filius noster  
iste proteruus & contumax monita nostra audire  
contemnit, comessationibus vacat & luxuriæ, atque  
conuiuijs: & lapidibus tunc obruet eum populus ci-  
uitatis, & morietur, & auferetur malum de medio  
vestri, vt vniuersus Israël audiens pertimescat, &cæ.  
hæc Deus præcipit. Quid proderit tali filij nomen,  
aut quod sit h̄eres natus &cæ. Sic quid tibi prodes-  
se potest nuda fides & confessio nominis Christi, si  
non adest obedientia? Luc. 6. inquit Christus: Quid  
vocatis me, Domine Domine, & non facitis ea quæ  
dico vobis? Si ergo non est satis, quod quis filius sit  
natus patri, si non etiam obedierit patri, nec h̄eres  
Dei erit quis per solam fidem, auditionem verbi, nisi  
& fecerit quæ præcepit pater.

Sic Apostolus Ioannes 1. Ioan. 3. dicit hæc per or-  
dinem:

dinem: Primò videte fratres, qualem charitatē, id est, honorem, dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Secundò inquit: In hoc manifesti sunt filii Dei, & discernuntur à filijs diaboli, vbi charitas fuit. Nā qui non diligit fratrem, hic non est filius Dei, sed Sathanē sicut Cain occidit fratrem suum Abel, Genes. 4. Tertiò qui peccat, ex diabolo est, hic ab initio peccat, id est, mendax & homicida est, Ioan. 8. & Christus Mat. 5. notat, qui sint filii patris, qui in cœlis est, dicens: Ego dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calūniantibus vos, vt sitis filii patris vestri, qui in cœliſ est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Ergo filium atq; hæredem regni facit non solum fides, sed magis obedientia Dei. Rom. 8. Quicunq; Sp̄itu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Ergo deceptio est in his dulcibus verbis, filius, pater &c.

*DE FALSA INTERPRETATIONE illius propositionis, Quicunque habet Christum.*

TITVLVS XXV.

**D**R Imò, vt secte suū somnijum retineant de sola fide, ad derogandum pijs operibus, dicunt: Quicunq; habet Christum & cui donat pater Christum filiū, huic omnia donat cum filio, Rom. 8. quæcumque habet Christus, iustitiam, sanctitatem, sapientiā, redēptionem &c. At qui solum credit in Christum, hic habet Christū & omnia cum illo gratis sine omni respectu operum propriorum. Habitat enim Christ⁹ per fidem in cordibus vestris, Eph. 3. Ergo sufficit mihi quod habeo Christum. Quid Papa, Cæsar, vel opera? habeo Christum &c. & omnia cum Christo, Nihil ultrā in-